

BENE
DICTVS
PP·XVI

ad perpetuam rei memoriam.

*~ Misericordiae Domini,
quia non sumus consumpti ~ ~
Lam 3, 22 ~. Haec verba quae
Venerabilis Servus Dei Euphra-
sius a Jesu Infante repetere so-
lebat, recte desiderium resumunt
quod iste habuit iuvenis Carmeli-
tanus discalceatus, illud videlicet
pro Christo consumi. Desiderium
eius a Domino acceptum est, cum*

in Hispania vexatio in Ecclesiam Catholicam violenter incumberet. Exeuntis videlicet XIX et inuentis XX saeculi anni fuerunt revera socialium, politicarum et religiosarum turbationum tota in Paeninsula Iberica, praesertim in regione Asturiae, historia et metallis copiosa. Et peculiarem in modum Oveti, in capite videlicet regionis, mense Octobri anno MCMXXXIV, conturbatio in furiosam vexationem adversus Ecclesiam erupit. Popularis tumultus contra gubernationem democraticam paulo ante constitutam, unam tantummodo hebdomadam perstitit; brevi hoc tempore quidam sacerdotes et religiosi ob odium fidei et Ecclesiae sunt occisi. Inter eos iuvenis erat Prior communitatis Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, qui Oveti

anno MCMVI constiterant. Tempore
quo Venerabilis Servus Dei Euphra-
sius a Jesu Infante munus Prioris com-
munitatis illā in urbe exercebat, commu-
nitas decem constituebatur sacerdotibus,
quattuor fratribus et undecim discipulis.
Quasi omnes religiosi, brevis huius vexa-
tionis tempore, sunt sine causa in carce-
rem coniecti, quidam tormentis cruciati
morte urgebantur. Pater Euphrasius,
tantummodo XXXVII annos natus, sequen-
tem ob rationem occisus est: quia cum in
valetudinario versaretur non celavit
suam condicionem religiosi Carmelitani.
In pago Canciens, provinciae Asturia-
nae de Corvera, die VIII mensis Februa-
rii anno MDCCCXCVII est natus. Me-
diis expletis curriculis apud Fratres
Scholarum Christianarum, singularem
praesensit ad Carmelitanam vitam vo-
cationem, amore nutritam erga Beatis-

simam Mariam Virginem. Die IV mensis Decembris anno MCMXII domum suam definitive reliquit suamque familiam ut Seminarium ingrederetur Carmelitarum in urbe Villafranca Navarrae, ubi vivaci intellectu eminuit praeceteris discipulis. Novitius exemplaris, suam devotionem erga Jesum Infan-tem ostendit hoc addens nomen ad illud quod in Baptismate acceperat. Hoc modo Euphrasius a Jesu Infante nominatus est. Post curricula Burgi et Victoriae, studia Flaviobrigae explevit, ubi, die XVIII mensis Martii anno MCMXXII, vota nuncupavit sollemnia. Sacerdos Blendii die XXIII mensis Septembris anno MCMXXIII est ordinatus atque Superiores Ordinis statim miserunt eum ut moralem doceret theologiam. Deinde ad sacerdotale ministerium in Begoña est destinatus. Breve post

tempus anachoreticum in Hoz de A-
nero, moderatores eum in Poloniam mi-
serunt, in coenobium Cracoviae, ut mu-
nus exerceret professoris apud alum-
nos Carmelitanos. Ibi duos fere mansit
annos, pietate et sapientia eminent. Va-
letudinis affectio atque institutio novae
Provinciae Carmelitanae in Hispania
fecerunt ut Moderator provincialis Ve-
nerabilem Servum Dei in Hispaniam
revocaret. Etenim anno MCMXXVIII
Burqi Carmelitanis scriptis typis e-
dendis se dedit. atque anno MCMXX-
IX Ovetum sicut theologiae praecep-
tor est destinatus. Sic usque ad finem
vitae suae mansit. Testimatus sicut
spiritus moderator et confessarius, et-
iam altam ob ingenii culturam, in Ca-
pitulo Provinciali Burqi habito, die
VIII mensis Maii anno MCMXXXIII, tan-
tummodo XXXVI annos natus, Prior O-

veti est nominatus, uti signum aesti-
mationis quam apud confratres sibi con-
ciliaverat. Fervidus, austeritati et mor-
tificationi deditus sicut decet verum
Carmelitanum, semper maturo sensu vi-
tam gessit et sine affectatione, promptus
ad suis subditis serviendum cum man-
suetudine et humilitate. Instante per-
secutione, praesertim de discipulis fuit
sollicitus, quos in tuto collocavit. Saucia-
tus, postremus omnium reliquit claustrum.
Ad amicorum familiam confugit atque,
paucis transactis diebus, in valetudina-
rium est acceptus. Sic tamen sicut reli-
giosus est delectus, violenter tractus per
vias, atque crudeliter, sine ullo processu,
sed manuballista est interfectus ob acer-
bum odium fidei catholicae, quam Vene-
rabilis Servus Dei sua vita suaque mor-
te est testificatus. Populus Dei eum sta-
tim martyrem fidei reputavit. Labenti-

bus annis, martyrii fama magis in dies
diffundebatur, quapropter Archiepi-
scopus Ovetensis Inquisitionem Dioe-
cēsanam annis MCMXCII - MCMXCIV
instruxit, quae iuridice die XVI mensis
Decembris anno MCMXCIX est approba-
ta. Peractis rite omnibus iure statutis,
audita sententia Congressus Peculia-
ris Consultorum Theologorum diei XXV
mensis Februarii anno MMV, atque emis-
so positivo iudicio a Patribus Cardi-
nalibus et Episcopis die XIV mensis No-
vembris anno MMVI, Nos Ipsi die XVI
mensis Decembris anno MMVII praece-
pimus ut Congregatio de Causis Sanc-
torum promulgaret Decretum de mar-
tyrio, ac deinde statuimus ut sollemnis
ritus eorum beatificationis Romae die
XXVIII mensis Octobris anni MMVII ce-
lebraretur. Hodie igitur Romae, in Fo-
ro ante Basilicam Sancti Petri, ingen-

ti adstante catholicorum Pastorum et
Christifidelium multitudine ex Hispania
aliisque nationibus, de mandato No-
stro Josephus S.R.E. Cardinalis Sarai-
va & Martinus, Congregationis de Causis
Sanctorum Praefectus, textum Littera-
rum Apostolicarum legi, quibus Nos
in Beatorum numerum adscribimus
Venerabilem Servum Dei Euphrasium
a Jesu Infante, sodalem Ordinis Fra-
trum Discalceatorum Beatae Ma-
riae Virginis de Monte Carmelo. Nos
vota Fratrum & Nostrorum Floisii
& Martinez Sistach, Archiepiscopi Bar-
cinonensis, Francisci Gil Fellen, Archi-
episcopi Burgensis, Antonii S.R.E. Car-
dinalis Cañizares Llovera, Archiepi-
scopi Toletani, Josephi & Mariae Yan-
guas Sanz, Episcopi Conchensis, An-
tonii & Angeli Algora Fernando, Epi-
scopi Civitatis Regalensis, Jacobi Gar-

cia & Aracil, & Archiepiscopi Emeri-
tensis & Augustani - Pacensis, Anto-
nii & Mariae S. R. E. Cardinalis Rou-
co Varela, & Archiepiscopi Matriten-
sis, Caroli Osoro Sierra, & Archiepisco-
pi Ovetensis, Caroli S. R. E. Cardinalis
& Amigo Vallejo, O. F. M., & Archiepisco-
pi Hispalensis, Raimundi del Loyo
López, Episcopi Giennensis, Vincentii
Jiménez Zamora, Episcopi Santande-
riensis, Joannis & Antonii Reig Pla,
Episcopi Carthaginensis in Hispania,
Caroli Soler Perdigón, Episcopi Gerun-
densis, & Antonii Dorado Soto, Episco-
pi & Malacitani, atque Cyriaci Benaven-
te & Mateos, Episcopi & Albasitensis, nec-
non plurimorum aliorum Fratrum in
Episcopatu multorumque christifide-
lium ex plentes, de Congregationis de Cau-
sis Sanctorum consulto, auctoritate & No-
stra & Apostolica facultatem facimus ut

Venerabiles Servi Dei: Lucas a Sancto Joseph Crisostomus Pujol, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo; Leonardus Josephus Aragonés Mateu, religiosus professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, Apollonia Lizarraga a Sanctissimo Sacramento, religiosa professa et moderatrix generalis Congregationis Carmelitarum a Caritate, et LXI Socii et Sociae; Bernardus Fabrega Julia, religiosus professus Instituti Fratrum Maristarum a Scholis; Victor Chumillas Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Minorum, et XI Socii eiusdem Ordinis; Antherus Mateo García, paterfamilias, ex Tertio Ordine Sancti Dominici, et XI Socii ex Secundo et Tertio Ordine Sancti Dominici; Crux Laplana y Laguna, Episcopus Conchensis, et

Ferdinandus Español Berdié, presbyter; Narcissus de Esténaga Echevarría, Episcopus Cluniensis, et X Socii; Liberius González Nombela, presbyter, et XII Socii ex clero archidioecesis Toletanae; Eusebius a Jesu Infante Fernández Trenillas, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, et XV Socii eiusdem Ordinis; Felix Echevarría Gorostiaga, presbyter professus Ordinis Fratrum Minorum, et VI Socii eiusdem Ordinis; Theodosius Raphaël, religiosus professus Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, et III Socii ex eodem Instituto; Bonaventura García Paredes, presbyter professus Ordinis Fratrum Praedicatorum, Michael Leibar Garay, presbyter professus Societatis Mariae, et XI Socii; Simon Reynés Solivellas et V Socii, professi ex Congregatione Missio-

nariorum a Ss. Cordibus Jesu et Mariae necnon ex Congregatione Sororum Franciscalium Filiarum Misericordiae, et Prudentia Canyelles i Ginessa, laica; Caelestinus Josephus Alonso Villar et II Socii, ex Ordine Fratrum Praedicatorum; Angelus Mariae Virginis de Monte Carmelo; Henricus Saiz Aparicio et LXII Socii, ex Societate Sancti Francisci Salesii; Marianus a Sancto Joseph Astolaquirre y Astolaquirre et II Socii, ex Ordine Sanctissimae Trinitatis; Euphrasius a Jesu Infante Barredo Fernández, presbyter professus Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo; Laurentinus Alonso Fuente Vergilii Lacunza Unzu et XLV Socii ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis; Henricus Izquierdo Palacios, presbyter, et XLIII Socii, ex Ordine Fratrum Prae-

dicatorum; Ovidius Bertrandus & Anuncibay Letona, Fermenegildus Laurentius Sáez & Manzanarés, Lucianus Paulus García García, Stanislaus Victor Cordero Fernández et Laurentius Jacobus & Martínez de la Pera y Alava, religiosi professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, atque Iosephus & Maria Cánovas & Martínez, presbyter dioecesanus; & Maria a Monte Carmelo, Rosa et & Magdalena Fradera Ferragutcasas, sorores professae Congregationis Filiarum Sanctissimi et Immaculati Cordis & Mariae; & Avelinus Rodríguez & Alonso, presbyter professus ex Ordine Fratrum Sancti Augustini, et XCIII Socii eiusdem Ordinis, necnon VI Socii ex clero dioecesano; Emanuela a Corde Jesu & Arriola Urranga et XIII Sociae, ex Congregatione Ancillarum Adoratricum Sanctissimi

Sacramenti et Caritatis; qui in Hispania vicesimo saeculo sanguinem suum effuderunt testimonium perhibentes de Evangelio Jesu Christi, Beati nomine in posterum appellentur, eorumque festum die sexta Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Persuasum autem habemus hunc beatum, magis quam Verbi Dei praedicatione, ad catholicam fidem propagandam actuendam exemplo vitae et intrepidae fidelisque professionis usque ad sanguinis sui effusionem plurimum contulisse. Tantam ergo admirantes huius spectabilis testis heroicam alacritatem, qui pro Christi amore vitam tradere non dubitavit, omnes hortamur pastores religiosos atque christifideles ad christianas virtutes variis in tempo-

ribus et rerum adiunctis cotidie ac-
tuoſe exercendas. Quod autem his Lit-
teris Noſtris decrevimus, volumus et
nunc et in poſterum tempus vim habe-
re, contrariis rebus quibuſlibet non
obſtantibus. Datum Romae, apud
Sanctum Petrum, ſub anulo Piſca-
toris, die XXVIII menſis Octobris, an-
no MMVII, Pontificatus Noſtri tertio.

De mandato Summi Pontificis

Cherſicij Carol. Bertone
Secretarij Stati

